



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 96. Alterum Cæsaris colloquium cum Landgravio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

colloquii copiam lubenti animo accep-  
tavit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1546.

§. XCVI.

*Alterum Cæsaris colloquium cum  
Landgravio.*

In altero hoc colloquio argumenta in *Sleid. p. 578.*  
primo congressu agitata rursus discu- *Et seq.*  
tiebantur, singularem tamen semper com-  
mitatem ac benevolentiam Imperator  
præfererebat, nec non per Navium Land-  
gravio grates rependebat, quod tam ip-  
se, quam Palatinus Elector animum ad  
concordiam propensum exhiberent:  
Posthæc Cæsar hæc subjunxit: „ Spe  
„ fretus vivo, quod vestri Theologi rur-  
„ sus Ratisbonam ad Catholicos sint re-  
„ versuri, si vero illi, qui præsentibus ad-  
„ sunt, vobis minus grati existunt, alios  
„ nominabo, de cetero te rogo, ut ad  
„ Comitiorum, si non ad illorum initium,  
„ saltem exitum venire haud cuncteris. „  
Ut vero Landgravium eo efficacius ad  
accessum permoveret, eidem exposuit,  
quod ipse propriis rebus suis postposi-  
tis jam per integros tres annos in Ger-  
mania unice hæreret, ut eam pacare  
posset, quamvis ejus præsentia alibi op-  
pido necessaria esset. Verum Land-  
gravius prætextibus jam nuper allatis  
rursus suam a Ratisbonensi Conventu  
absentiam excusabat, & quantumcun-  
*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII.* Mm que

Sæcul. XVI.  
A.C. 1546. que illum Cæsar obsecraret atque obtestaretur, ipse tamen nihil se polliceri posse affirmavit: igitur a Cæsare dimissus Heidelbergam profectus est, inde ad suam ditionem reversurus: Cæsar vero interea recta Ratisbonam contendit. Eadem die prima Aprilis Protestantium Deputati Wormatiæ convenerant, de summa rei consulturi, postquam autem Landgravius datis ad Saxoniam Electorem literis eidem significaverat, quod Spiræ a Cæsare perbenigne fuerit exceptus, mox Deputati acceptis hisce Landgravii literis die vigesima tertia Aprilis Conventum solverunt, ut Ratisbonæ, quo alioquin brevi ad Comititia contendere jubebantur, de cunctis hisce negotiis deliberarent.

## §. XCVII.

*Papæ epistola ad Helvetiorum Episcopos.*

*Sleid. l. c.* Die undecima Aprilis Papa datis literis Sedunensem & Curientem Episcopos, nec non quosdam Helveticæ ditionis Abbates ad Concilium generale Tridenti inchoatum invitavit; *Æquum enim est, inquiebat Pontifex, ut & vos qui Ecclesiam Helveticam representatis, imprimis eo veniatis: nam nationis vestræ populus valde mihi præ ceteris est*